



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Nemini citò manus imposito &c:

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

non erit inæqualis, Deus uerè æqualis est æqualibus. Damnat peccata in omnibus, & recipit omnes confugientes ad filium &c.

*Nemini citò manus im-
ponito &c:*

Completitur utilem doctrinam. Primum confirmat uocationem & ordinationem, quæ fit per homines in Ecclesia, quia approbat ordinationem quam Timotheus faciebat imponens manus ijs quos Ecclesia uel ipse elegerat. Est autem ingens beneficium Dei, quòd uult ab Ecclesia uocari uel eligi ministros, et per nos uerè uult esse efficax. Sicut inquit Dominus Ioan: 20. Sicut pater meus misit me, ita ego mitto uos. Et postea præcipit Tito Paulus capite 1. Constitue presbyteros.

Hoc ingens beneficium grati agnoscere debemus, & hac fide exercere ministerium, & uti ministerio, ac statuere quòd Deus uerè efficax sit uoce horum ministrorum. Ac supra copiosius dictum est de duplici uocatione ministrorum.

Altera admonitio hic comprehensa hæc est, Quòd uult fieri exploratione doctrinae & moru, nec admitti ad ministerium inexploratos, sicut & infra præcipit 2. Timoth: 2. Commenda mi-

L 3 nisteri-

I. EPISTOLA AD

ministerium hominibus fidelibus, qui sunt idonei ad docendum. Vult ergo inspicere doctrinam & mores, et nullos admitti ad ministerium, qui non sunt mediocriter idonei.

Hic quæret aliquis, Quis gradus observandus est? Respondeo, Vtraque propositio tenenda est. Prima, Nullius eruditionem, sapientiam, & diligentiam parem esse tanto ministerio. Sicut 2. Corinth: 3. expresse dicitur, Non sumus sufficientes. Agnoscenda est igitur nostra infirmitas, & frenanda audacia, ne fiducia nostra sapientiæ doctrinam rectè traditam turbemus, nec noua dogmata, nec novos cultus fingamus. Altera propositio addenda est, Necessè est obedire mandato quod iubet seruire Ecclesiæ uocatos, Ibi requiritur ut fideles simus, ut dicitur 1. Corinth: 4.

Fidelitas autem opponitur duobus uicijs, affectatæ ignorantia, & affectatæ negligentia in ijs, quæ necessariò facienda erant. Comprehendit igitur fidelitas mediocrem eruditionem, & mediocrem diligentiam in faciendis ijs quæ necessaria sunt. Hic autem mediocris eruditionis ea existimetur esse, quæ tamen fundamentum integre complectitur, id est, omnes articulos Symboli, Decalogum, discrimen LEGIS & EVANGELII, intellectum doctrinæ de iustificatione

tionem, de usu Sacramentorum, de ueris cultibus & fictitijs.

Etsi autem nemo satis intelligit hanc diuinam sapientiam, tamen de his materijs omnibus utcumq; oportet quemlibet Pastorem scire formam docendi, quæ in Ecclesijs emendatè extat, comprehensa in Catechismis.

Nam distinctionem de insufficientia & fidelitate in qualibet uocatione nosse necessarium est, ut sciamus cur necesse sit seruire, & quas res nos afferre oporteat, & unde petendum & expectandum sit auxilium, Et ut agnita infirmitate nostra nihil extra uocationem tentemus, sicut multi summi uiri lapsi sunt fiducia suæ potentia, uel iusticia, uel sapientia, uel authoritatis, ut Gedeon, Nabogodonosor, Pompeius & alij innumerabiles.

Addit autem hic Paulus regulam: *Non communices alienis peccatis.* Quæ congruit cum usitato dicto, faciens & consentiens similiter puniendus est.

Deinde congerit alia præcepta, de castitate, item de tuenda ualetudine & alia.

Sæpe autem repetitur doctrina de castitate, quam certissimum est uirtutem esse necessariam, iuxta dictum 1. Corinth: 6. Scortatores & adul-

I. EPISTOLA AD

teri non possidebunt regnum Dei. Item, Hebr. 11.
Scortatores & adulteros iudicabit Deus.

De tuenda ualitudine pertinet hæc iusticia
ad præceptum. Non occides. Semper autem ualde
de multi homines se interfecerunt, & interpe-
ciunt intemperantia, aliqui etiam immoderata
abstinentia læserunt corpora. Paulus ad Colos-
senses capite duodecimo insigni uerbo usus est, ius-
bet honorem haberi corpori. Cum enim sit
hospitium & organum Spiritus sancti, tale quida-
dam est, quòd non solum fouendum est, sicut fontem
arborem aut pecus, sed etiam ita magnificien-
dum est, ut accedat opinio, quòd hoc corpus sit
domicilium & organum actionum diuinarum in
omni aeternitate. Et propter hæc bona ne Deus
impediatur, reuerenter tuendum est, & ars ipsius
fabricationis magis admiranda est quam in aliis
corporibus, quia multò plura testimonia de Deo
nobis impressa sunt, uidelicet radij sapientie di-
uinae, noticia numerorum & ordinis, discrimina
honestorum & turpium. Hæc casu semper
alia esse impossibile est. Sed fatendum est mentem
architectatricem esse. Postremò ideo quoque
betur honos corpori, quia Deus præcipit ne læ-
datur. Hæc consideratio nos ad diligentiam in-
uitet in tuendo & regendo corpore.

Quo